#### Mechanismum venae azygae pleuritidis causam / ... proponit auctor Franciscus Frider. Tittmann.

#### **Contributors**

Tittmann, Franz Friedrich. Loescher, Martin Gotthelff, -1735. Universität Wittenberg.

#### **Publication/Creation**

Vitembergae: Literis viduae Gerdesiae, [1724]

#### **Persistent URL**

https://wellcomecollection.org/works/ms3bs9q9

#### License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection 183 Euston Road London NW1 2BE UK T +44 (0)20 7611 8722 E library@wellcomecollection.org https://wellcomecollection.org 2. D. B. V.

# MECHANISMVM ENAE AZYGAE PLEVRITIDIS CAVSAM

PRAESIDE

# MART. GOTTHELFF LOESCHERO

IYS. PROF. PVBL. ORD. MED. EXTRAORD EIVSDEMQVE FACULT. ASSESS. NEC NON SEREN. DVC. SAXO-VINAR. PHYS. PROV.

PRO

RADV DOCTORALI OBTINENDO
IN AVDITORIO MAJORI
AD DIEM XI. JVL. A. M DCCXXIV.

PVBLICE DISPVTANDVM PROPONIT

AVCTOR

LANCISCUS FRIDER. TITTMANN

DRESDENSIS.

VITEMBERGAE, LITERIS VIDVAE GERDESIAE

MERCHANISMIN ADIMANAME PIRVITIDIS CANSAM ERAESIDE MERITODINAM OHHOMHON YS. PROE PVEL ORD. MED EXTRAGE SDEMBYER FACTOR ASSESS INTO YOUR ELENS RADVIDOCTORALI OBTINEND ABOY LM OFFORTONE WE CAD DIEM XE IVI. A.M DCGMXIV. PREBLICE THERVIANIE HEROLONET AMOISCVSTERIDERFTITIMAL DEFSDENSIS PERSONAL SERVICE STRUCKS GENERALL STORAL GENERALS

# MECHANISMO

# AZYGAE

PLEVRITIDIS CAVSA.

# PROOEMIVM.



upervacaneum fere institutum posset videri, quibus tot de Pleuritide dissertationes, tot Practicorum capita, tot opiniones pro & contra desensæ quotidie ante oculos versantur. Sed

enim vero, quo accuratius res investigantur medicæ, hoc plures se offerunt veritates incogni-

A 2

tæ,

tæ, quas solertissimorum Anatomicorum assidua corporis humani perscrutatio detegit, & ad commodiorem certioremque Pathologiæ explicationem & demonstrationem viam quam optime monstrat. Pleuritis ipsa exempli instar loquetur. Quotquot enim fere ex antiquioribus perinde ac recentioribus auctores evolvuntur, multa posteritati perscrutanda reliquerunt, quandoquidem cum maxime tum quoad sedem ac locum affectum, tum quoad phænomenorum explicationem differunt, imo diversos affectus sæpissime confundunt. Non in adducenda disceptatione de loco affecto in pleuritide nimis prolixus ero, quæ Manelpho, Gvelfalioni, & Baldo Profess. Gymnas. Rom. slorentis nec non Moravio Prof. Lut. Parif. elapso seculo intercessit, quippe qui, auctoritate Hippocratis, Heropbili, Petronii, Plateri, Cagnati inducti, nullam Pleuritidem a membranæ costas succingentis inflammatione, sed a dimidiati pulmonis incendio, omnem excitari, contenderunt.

Hi, uti divi senis mentem quibusdam in locis minus recte sunt interpretati, sic in explicatione

tione rem inexplicatam fere tradiderunt; ita, ut mirandum, quanta ex præconceptis opinionibus sibi formaverint dubia. Antiquiores equidem excusationem merentur, circulo sangvinis tunc temporis ignoto, quapropter ipsis sluxiones multæ imaginariæ negotium sacessiverunt. Supra dicti vero Itali, nisi pro scopo habuissent, auctoritatem venerandi Parentis vindicare, haud immerito culparentur, cum plures Medicorum, inprimis vero Riverium, Sennertum, aliosque habuerint coævos, qui magis sobrie, & causam proximam, & partem affectam, & modum in-vasionis designaverunt. Obtinuit eorum sententia hucdum certa ratione in scholis Practicorum dignissimam fidem; pace tamen omnium liceat mihi assere, accuratissimam descriptio-nem venæ sine pari Cl. Jo. Mar. Lancisii in Epistola ad Cl. Morgagnium de eadem firmissimum nobis pleuritidis theoriæ posuisse sundamentum. Qui locus tanti mihi visus suit, ut, specimen Academicum editurus, paulo sollicitiorem de eo investigationem instituerem, atque ostenderem, tam ab antiquioribus in explicanda pleuri-tidis ratione multa omissa esse, tam a viro modo

laudato, elegantem materiam nobis subministratam, in qua solertia nostra haud præter rem exerceretur.

demiexenfacionem merbatur, circulo fat

Pationum igitur ex venæ illius Mechanismo peculiari atque structura notabili inferendarum probabilitatem, & in pathologia Pleuritidis explicanda utilitatem inquisituris, nobis ante omnia curiosa Clar. Viri Venæ Azygæ descriptio erit recensenda. Locata videlicet est vena, Græcis azygos dicta, in homine intra thoracem ad radices costarum versus dextrum vertebrarum latus, &, more cæterarum venarum, valvulis munita, a septo transverso inter pleuræ membranam sursum progreditur, atque in ascenfu e fingulis intercostalibus musculis, tam dextris, quam sinistris, ramos, ut & ex bronchiis bronchiales Ruyschianos accipit, tandemque insignem truncum constituens, curvo itinere, sive paululum in arcum flexo, supra tubum asperæ arteriæ inter quartam ut plurimum & quintam dorsi vertebram assurgit, ac sangvinem, quem convehit, universum ingerit intra superiorem cavam, quo loco nondum pericardium ingres-

sa eidem asperæ arteriæ incumbit ac firmiter adhæret. Venulas a tribus vel quatuor superioribus costis, quanquam sint, qui negent, revera accipit, tribus nimirum surculis in unum coeuntibus, & quasi per communem canalem sangvinem e musculis primarum costarum ad eandem regerentibus. Sic quoque versus latus sinistrum insignis sæpius ramus venæ azygæ officium præstans, in sæmellis inprimis longiori thorace gaudentibus, fuit observatus, superne non cum vena cava, sed subclavia, inferne per ultimum ramulum cum vena sine pari dextra, copulatus; hemiazygus ideo dictus, quod tantum a sex superioribus intercostalibus spatiis reducit sanguinem, inferiores vero rami cum dextra vena uniuntur.

#### Ton vala vere fance. Hear folian inter

Citum venæ nostræ æque ac divaricationem anastomosis curiosa sequitur, quam Sylvius, Fallopius, Vesalius, Eustachius, alii, jam tum elegantissime demonstrarunt. Sicut & illud docte exposuerunt, germina venæ sine pari tum superne, per ipsius sterni cartilagines in externos pectoelines

pectoris musculos divaricari, atque cum mammariis conspicua anastomosi copulari, tum prope dorsi vertebras in posteriores, ac laterales externas partes usque ad membranam adiposam produci, tum demum inferne ad lumbares quoque musculos deferri, ac, superato diaphragmate, eadem germina in latere sinistro sæpe cum vena emulgente, in dextro frequenter cum cava aut recurrente a testibus; imo juxta Auctorem nostrum, azygam cum uterinis vasculis interdum concurrere. Intimior hæc connexio monstravit ipsi reciprocum fluxum liquorum, tum a cava atque ab emulgente sursum in azygam, quam ab hujus externis surculis deorsum in cavam & emulgentem. We soroustni , moniugnal monbor dexira vena uniuntia. III

Non vasa vero sangvisera solum inter se, sed & cum nervis arctissimum in pectore habere nexum, acute idem Lancifius deprehendit, quippe quod nimirum nervi per interiora thoracis, & dorsi costas inter pleuræ membranas, ad diaphragma usque decurrentes, supra ramos venæ azygæ utrinque erratico flexu & geminatis plerumque, hederæ instar, claviculis perreptent, variis-

variisque in locis cum caudice venæ azygæ & ramis intercostalibus amplexu sese permisceant. Ab arctiori hoc nervorum & venarum amplexu, ulterius ad orificium azygæ admirandum in venam cavam dehiscens, deductus fuit, ubi membranosum fornicem inosculationis venæ, musculari quodam semicirculo valide munitum, & nervo ex intercostalium ramis instructum detexit, imo crebriori demonstratione inventi veritatem in cunctis cadaveribus dissectis confirmavit. Quod, sicut res est haud levis momenti, ita nec minus notatu est dignissima connexio, vel per poros, vel per tubulos venæ sine pari cum trachea. Ubi nempe versus venam cavam super asperam arteriam in arcum flectitur vena azygos, ibi arctissime per validas fibras & minuta vasa, ad interiora usque penetrantia, cum illa arteria est connexa. Quod autem via in illam pateat, per memoratum eundemque fibrosum nexum, aperuit liquidorum transitus, quæ per flatum excitatis bullis, e minimis orificiis au-Store Lancisio rorare animadvertuntur,

the components.

# varisque in locis cui.VI

Ordo rei jam postularet, ut similem pleuræ subjungerem descriptionem. Sed quando structura anatomica in vulgus nota est, operosiori explanatione membranæ illius equidem potero supersedere, talem exhibiturus tantum, qualem rei exigit necessitas, hoc est paulo concisiorem: membranam nimirum esse lævem, tenuem, compactam, ex duplici lamella constantem, & totum thoracem investientem, duos quasi facculos in medio mediastinum constituentes efformantem, ex Ruyschiana detectione arteriis & venis capillaribus, nec non nervulis gaudentem, certum est, nobisque in præsenti satis. Interim brevis hæc descriptio ansam sup-peditat dubitandi, an priscæ sententiæ de inflammatione hujus membranæ per omnia calculum addere debeamus? Non equidem inficior, inflammari posse membranam hanc, & quidem fympathice, utpote gnarus, substantiæ ejus inesse vasa capillaria stasium & inflammationum capacia. Sed enim vero hanc solam non tanti esse momenti, ut gravissima ejusmodi symptomata

mata, nedum pleuritidem, producere possit, ex eo asserere ante omnia ausim, quod in omnibus inslammationibus non tantum receptivitatis & capacitatis partium, nec non dispositionis ex structura, sed & quantitatis materiæ congestæ sanguineæ, & seri per naturæ pulsus assuentis, maxima ratio sit habenda. Quis enim practicorum celebriorum inslammationem, quoad ego doctus sum, peritonæi tradidit? cum tamen, juxta recentiores anatomicos, etiam sit membrana ejusdem structuræ, tenuis nempe, densa, polita, lubrica, multis vasis sangviseris ab epigastricis, mammariis, lumbaribus, & diaphragmaticis, nec non similibus nervis intertexta.

#### A cel che initempation

Non enim obstat, quod, cum in dissectionibus corporum desunctorum ex inslammatione vel musculorum abdominis, vel visceris cujusdam nobilioris, in regione adjacente sæpissime macula quædam rubens offendatur, inde argui possit, ubi rubor, ibi inslammatio, quandoquidem plura signa pathognomonica, uti inprimis tumor, tensio, calor auctus, requiritur, præsertim

tim cum ipsæ erysipelaceæ inflammationes membranis alias fere solis competentes, hæc sibi exposcant primaria signa, consentiente Lan-gio, reliquis haud sepositis. Quid quod nulla, quantum mihi constat, in scholis Practicorum erysipelacea membranarum interiorum uere talis inflammatio inveniatur. Quod ipsum tamen non negauerim de membranis, quæ alius plane sunt structura, & quasi composita, quales sunt tunicæ intestinorum, cutis, dura mater, albuginea, diaphragma &c. Hæ namque fibras modo laxiores, succulentiores, modo majorem vasorum sanguiserorum & lymphaticorum copiam habent, humorumque faciliorem æstum patiuntur, adeoque ab incendiis inflammatoriis non sunt excludendæ. Apparet igitur exinde, membranas simplices, compactas, densas, non ita facile solas, ut hactenus putarunt, inflammationibus gravioribus esse obnoxias, sed potius incendia in partibus vicinis musculosis, vel vasculis, haud ita minimis initium capere, & sic ipsas in consensum rapi. Venit mihi in mentem hic objectionis alicujus, quæ ab inflammatione membranæ pulmonum exterioris, in Peripneumonia

peti posset. Antiquiores enim existimarunt, inflammationem illam esse erysipelaceam, & mere superficialem. At Cl. Stabius hunc nodum solvit, cum ad experientiam provocat, qua in cadaveribus ex Peripneumonia neglecta desunctis, profunda stasis sangvinis, in meditullio pulmonis, sit deprehensa, atque exinde concludit, peripneumonicam inslammationem, totam potius pulmonum implere substantiam, quam circa solum ambitum exteriorem hærere. Hinc sirma adhuc manet sententia nostra, membranas simplices, sua natura, vix inslammari posse.

# Preprimis vero fin. IV are quioquan in co la-

His ita pensitatis, quæ a majoribus nostris in stammationi pleuræ sunt adscripta, ea stagnationi sangvinis in vena azyga ejusdemque ramis majori jure attribuemus, ita, ut non pleuram, sed venam modo dictam, causam Pleuritidis subministrare asseveremus. Quantum igitur ad argumenta theseos nostræ attinet, ante omnia monemus, in schemate Phlegmonum generali nos a parte recentiorum stare, & illas congestionibus & subsequentibus stagnationi-

bus sanguineis, in locis pro dispositione ætatum, hæmorrhagiis consvetis assignare. Propterea primo patet ex data descriptione, Venam azygam cum ramis unicum esse vas venosum, per omnia thoracis latera divaricatum, & ex universo ambitu sangvinem ad receptacula majora revehens; quid mirum igitur, si statuamus, quod, tum propter structuram peculiarem, tum nimiam congestionem & humorum allapsum, in prædispositis subjectis, vel partialis, vel totalis, stagnatio suboriri queat.

# phoes, full matura, viz. if Vanitari posse.

Præprimis vero fingulare quicquam in eo latere videtur, quod natura, alias compendii amans, peculiarem quendam truncum, fanguinem revehentem, duxerit necessarium; ramos enim intercostales breviori via ad modum arteriarum cavæ annectere, ipsi peræque possibile suisset. Sed, sapientissimam hanc esformationem ideo sactam, arbitror, ne ramuli illi minores, horizontaliter sere siti, & pondusculo venæ majoris molem minime æquantes, nimis gravem paterentur renixum, sed potius, vi omnium

vasorum in communi azygæ alveo unita, vehementiori ac celeriori fluxu, sangvis in truncum cavæ superiorem reduceretur. Lancisus haud vulgarem hac ex parte fovet opinionem, sentiens, sangvinem intercostalem alternis respirationis motibus, & musculis huic muneri ancillantibus inservire debere, & propterea diuturniori circulo opus esse. Connexis autem ramis cum trunco cavæ inferiori in homine erecto, fieri non potuisset, quin sibi invicem suissent impedimento, naturam itaque quam optime perspexisse, in cava superiori, propter sanguinem proprio pondere velocius illabentem, & versus præcordia descendentem, tum per sanguinis costalis affusionem, tum per valvulæ genus, ab Eustachio prope cordis auriculam apud homines indicatum, injectam remoram multum commodi præstare.

VIII. modi præstare.

A dducta hæcce non minus funt utilia, quam curiosissima, atque in explicatione pathologica, viam pandunt ad demonstrationem congestionum sanguinearum, circa ambitum totius pectoris & imprimis venam azygam, facillimo modo

modo exinde probandarum, si modo attendamus, juxta Hippocratem eas subjectis competere ætatem agentibus juvenilem, in pueritia narium hæmorrhagiis spontaneis assuetis. Enimvero, his suppressis, majori copia sangvis de capite proruit, ac deinceps venis ad retardationem fluxus sibi subordinatis, cum utraque ex hominis statu plethorico insigniter turgeat, minor omnino majori cedere & fluxum sufflaminando vim sibi cogitur inferre; arteriæ vero intercostales, officio suo interea sungentes, sanguinem pressione in venas promovent, qui, coacervatus & in refluxu impeditus, tonum vasorum relaxat, & stales necessario excitat. Sand falls affusionem, rum per valvular acutat monthis allass accordes axionem apud homines

Nemo autem sibi persvadeat, ac si natura vitio voluissemus vertere, quod per ejusmodi venarum constructionem statui præternaturali ad stases hasce noxias producendas, manus veluti obtulisset: enimvero, quis naturæ vias efformanti', Plethoræ præparationem insimul at-tribuet? cum hæc, ipsi alias infensissima, invitæ quasi, a rebus extrinsecis', nimirum lautiori diæta, obom

diæta, & vita sedentaria, multisque aliis plerumque obtrudatur, quapropter in statu secundum naturam, hæc subordinatio haudquaquam est exposita periculo, dummodo a causa externa & remotiori nullum ipsi inferatur.

Cilentio utique medickionem præterendam

Porro memoratæ stases ex noviter demon-strato inosculationis semicirculari fornice musculoso, mirandum fane, quantum illustrentur. Non equidem strictissime determinaturus ero, qualemnam usum specialem præstet; cum inventor istiusmodi officium ita explanet, ut ubi carnosæ sibræ, nervo instructæ, ibi motum edi sit necesse. Fieri igitur constrictiones secundum naturæ indigentiam, ita ut moderatoris instar, & rectoris refluxus sangvinei esse possit. Quod vero ex his modus & causa stagnationum, imo subsequentium inflammationum pleuriticarum in fummo gradu elucescat, experientia & avtopsia auctoris, qui phlogosi osculum omnino affectum & rubentissimum in nonnullis subjectis detexit, & in cunctis, quæ secuit, veram præsentiam orificii, imo quoque in hemiazyga, non cellant absiabsimilem sibrosam cum nervis machinam deprehendit. Quomodo vero ex stagnationibus sangvinis hoc constringi inslammarique possit, sequentia monstrabunt.

# & remotion nulium 1X micratus.

Silentio utique meditationem prætereundam minime reor, cur medius venter in ambitu tot infignioribus nervis, tum musculis, tum venis solum inservientibus, fuerit dotatus, cum singuli musculi intercostales, peculiares quoque habeant ramos nervorum a dorsalibus, quid itaque tum intercostalibus tum phrenicis suit opus? De eo solertissimus Auctor limatissimum nobis suppeditat judicium, quia motus thoracis non tantum perenniter sit alternus, sed nonnunquam expediat, illum longe celeriorem fieri, atque intendi, id circo providentia naturæ consultum suisse arbitratur, ut isthæc actio, aliis etiam nervis tum in venas tum in dorsales nervorum ramos immissis, pro temporum opportunitate adjuvaretur. Operæ igitur erit pretium, ut exponamus, quale in stasi pleuritica, nervi intercostales azygæ ramis quasi circumvoluti, facessant

cessant negotium, stagnationes nimirum aggravando, & gravissimorum in pleuritide dolorum causam suppeditando. Nam, nervos ultra suum tonum absque vitio haud tendi posse, quivis C. H. scrutator affirmabit, hinc vena sine pari ab infarctu sangvineo distensa, cum ejus parietes non sane non relaxari possint, ubi nervosum amplexum, ibi quoque intersectiones & constrictiones patitur, proindeque refluum & congestum sangvinem inæquali amplitudine eo gravius intercipit, materia vero sangvinea mota equidem, sed non promota, premit & irritat ex nimia distensione nervos, immensos excitat cruciatus, & dolores parit punctorios. De cetero modus, quo isti in vera pleuritide ad scapulam & humeros ascendere & continuari possint, tum ex præmissis, tum venæ azygæ situ, tum ex connexione nervorum intercostalium cum musculis humeri, sua sponte patet.

#### XII.

Ut autem hæc, forte non contemnenda, ulterius illustrentur, huc facient, quæ Lancisio in dissectis cadaveribus, sæva pleuritide in C 2 periperipnevmoniam facessente interemtis, memoratu digna contigerunt observare. Ramos venæ azygæ lateris, quo ægri primum dolue-runt, in varices abiisse, id est, ex sangvine, tum sua, tum nervorum culpa subsistente, venas tumefactas, & in nodosas intumescentias elevatas fuisse. Quæ si non resolvi nec discuti possunt, postea in concretiones polyposas, ab Auctore multis vicibus annotatas, nec non in suppurationem partium degenerare solent. Vasa vero pectoris & congestionibus & varicosis extensionibus obnoxias esse, jam tum Hippocrates in quibusdam locis recensuit, &, quantumvis accuratiori vasorum & nervorum structura incognita, attamen de tuberculis dictorum vasorum, venis pectoris divulsis, ita ut convulsio facta sit, quæ dolores excitet & pulset, sermonem fecit, ut putarem, nemini secus judicare liberum esse.

# XIII. Omodi and fromusi

Pestat, ut nunc prosequamur, quanam lege osculum venosum inflammetur, insimul occludatur, atque constringatur. Levissime vero ex præmissis evincitur, distensionem præterna-

tura-

turalem, exacerbationem nervorum, circulo in ipsis læso, & motus inflammatorios satis superque causam porrigere, quod tunicæ equidem, sed non per se, inflammentur, &, tono nervorum excedente, spasmi oriantur. Atque ut occurratur præjudicio, e dictis apparere, nos in omni pleuritide, totalem caudicis venæ fine pari infarctum, & simul per totum ambitum pectoris circulum sanguinis sufflaminatum statuere, monemus; id modo de summo morbi costalis gradu intelligendum, non abnuentes, utrumque ex causa specialissima in loco particulari principium & accrementum sumere posse. Et, quid quæso impedit, quo minus in universum infar-Etum fieri credamus, cum suppeditata descriptio nobis anastomosin cum vena emulgente, vel cava, imo reciprocum humorum fluxum experimento demonstraverit, ita ut, via versus superiora prohibita, sangvis tamen in tantum versus inferiora, e pectoris latere non affecto deferri possit, nec opus sit, ut circulus vel in pectore, vel etiam in toto corpore, retardetur.

obinius I mi muricus ila como alla contra C. 3 nolta

tarunt.

XIV.

#### XIV.

Quo præterea magis perspicue deprehendan-tur omnia, nodus, ex hactenus receptis Practicorum opinionibus, difficillimæ alias extricationis, de sputi pleuritici præparatione & via evacuante, erit discindendus, id quod eo expeditius consequar, cum Lancisius pleraque extricare cœperit, atque hoc ipso operam nobis facilitarit. Pensitet enim quisque, quanta diffi-cultate laboraverit, qua tam longo itinere opus fuit sputo ad viam ejaculantem, cum, vel e latere pectoris in cavitatem transsudare debuerit, ut a pulmonibus absorberetur, ibique ad exitum præpararetur, poris tamen foras introspicientibus, nondum satis demonstratis; quanquam 70. VV alæus, poros pisum maiusculum amplitudine capientes, & Plempius tantos, quibus stilus crassior immitti potuerit, obseruasse somniarunt; vel cum finxerunt, quod per vasa sangvisera ad cor, de corde in pulmones delabatur. Quapropter sub hoc respectu multis Practicorum, lobum pulmonum alterutrum in Pleuritide accusantibus posset ignosci, quando eo allaborarunt,

rarunt, ut commodiorem exscreationis viam demonstrarent, dum Paradoxon plane suerit, pulmones non assectos, sputum tamen sundere cruentum.

# XV.

Videamus ergo noviter inventam viam Lan-cisianam, patula num sit, & quemadmodum nemo, quantum ego novi, primæ detectionis palmam ipsi præripiet, sic & primus sat accurate modum, quo exeat sputum, demonstravit. In memoriam vero revocandum erit, quod supra, in descriptione de connexione cum fistula pulmonali, suppeditavimus, venam azygam super unum asperæ arteriæ crus, in arcum versus venam cavam flecti, ibique per validas fibras & minuta vasa arteriæ esse annexam, quæ vasa ad internam tracheæ faciem penetrent, ut Inven-tori non levem semper injecerint dubitationem, num obscuri lateant aditus, ab azyga intra asperam arteriam inferentes, quos natura in vera pleuritide, seu laterali simplici morbo, per sputum facile desinente, recludat, aperiat, atque sic breviori itinere morbificum humorem per anacatharfin derivet. Quod vero cœci meatus

meatus pro temporum opportunitate in nobis dehiscant, & morbisicæ causæ exitus præparetur, quotidiana serme praxi comprobatur, natura sibimet ipsi, ad plurimas hæmorrhagias & sluxiones, vias naturaliter occlusas aperiente.

#### Videatins ergo no IVX

Tinc Cl. Auctor adductus, vena cava ligata, injectiones liquorum flatu instituit, una cum mutatione vasorum, modo in cavam, modo in azygam, modo subclaviam injiciendo, & tuto inde collegit, ex azyga meatus hosce longe numerosiores, aut patentiores existere. Si autem quis vim flatu venis illatam accusare velit, is accuset quæso, naturam ipsam in stasibus sangvineis, vasis itentidem distentis, poros vel orificia venarum sibi recludentem. Hisce si nondum contentus esse velit, attendat ulterius, quid de sequentibus judicandum sit, ubi duplici memorata observatione practica confirmat: ægros, benigna pleuritide laborantes, ante quartum diem, janua venæ adhuc clausa, cruentam, postea albam coctam lympham spuentes, ipsam non, a profundo pectoris hausisse, & traduxisse, sed a loco

a loco, quem digito sciscitanti monstarunt, sub sterno scil. ubi se azyga in cavam aperit. Alterum demonstrat more, qui Romæ invaluit, ubi pleuritide si quis corripitur, dolentem partem oleo prius inunctam, pollice, unam inter alteramve costam, vehementer fricare, ac versus dorsum pellendo ita urgere solent, ut ægrotus paulo post tussi corripiatur, & semper fere sangvinem exfpuat, illis insuper asserentibus, ab ea parte, ubi ingressus azygæ in cavam, seipsos acrem stimulum ad tussiendum sentire.

# plorare, dain, vala nive minima id pacifare non polit cuilibet c. nvX quid qued uce ego

A d faciliorem sputi expressionem in tracheam, ventrem musculi triangularis sub sterno inserti ex mente Lancisii opem ferre abfonum haud videtur. Non enim hic musculus tendi potest, quin thymus, subjecta vena cava, atque adeo quoque inosculatio azygæ, cum ipía trachea necessario prematur, eo magis, si quando a congestione vasa inflata turgescant. Accedit motus musculorum intercostalium pro respiratione dilatatorius, ubi vasa tumida, in interstitiis musculorum summo cum dolore comprimi, primi, & viis in asperam arteriam apertis, anacatharsin promoveri necesse est.

#### XIIX.

At enim vero, universam sputi copiam per venam azygam secerni, tanta fere laboraret difficultate demonstrandi, quantam membranæ pleuræ patronis imponerem, si ipsis præparatio hujus colluviei ex membrana folum derivanda esset. Hi uti non possunt non refugere ad vasa sangvifera, & majorum auxilia implorare, dum, vasa pleuræ minima id præstare non posse, cuilibet constat, quid quod, nec ego membranam ejusmodi tendineam nunquam seri tantam copiam secernere, imo materiam puru-Ientam in ea conficere vidi, Sennerto per omnia adstipulante, quapropter in sangvinea hoc potius latere massa verosimillimum videtur. Non enim quantitate solum peccare, ex qua aberrationes œconomiæ pectoris, & motus congestorios supra demonstravimus, sed etiam a sero excedente, prout Stablius consentit, in crasi læsum esse, imo rheumatica diathesi laborare, sanguine sub primis jam dum diebus e vena misso, nobis

nobis ante oculos ponitur, crusta vel materia albicante ipsi supernatante, vel justo citius in polypeum quasi crassamentum coeunte. Unde propterea pro certo colligimus, massam seri extravasatam, copiam sputi suppeditare, connexionem vero porosam venarum cum trachea, pati tantum, ut trajiciatur & transcoletur. Neque hoc monstri quicquam alit, si quis perpendet, hujusmodi evacuationes aliis in corporis partibus quoque inveniri, & congestiones infimi ventris sangvineas, tales fluxiones ut plurimum comites habere, quid etenim tunica, quid viscere nobiliori, sputum alias secernente, nimirum pulmonibus opus est? cum a meris venis mucus serosus striatim cruentus, materiæ purulentæ sæpissime instar, in hæmorrhoidibus mucoso-albis, in primis evacuationibus menstruis, fluore albo simplici, multisque sexcentis aliis, evacuationibus criticis percolari possit. Ut inde manisesto appareat, motibus salutaribus, omnes corporis vias alioquin impervias, patere, quidni vena azyga, in morbo costali solo, pro sputo percolando.

D 2

XIX.

# nous ante oculos EXIXI solucion

Pulmonibus autem universum secretionis sputi officium derogare velle, ex parte contraria illorum, qui omnem ipsis tribuunt, pari jure improbandum esset, neque ita nostra mens est, cum potius in assectibus complicatis plevropnevmonicis, non equidem substantia illorum membranacea, sed ex opinione recentiorum Physiologorum, apicibus porisque vasorum sangviserorum sputi costionem primario tribuamus.

### comices habers quix x coim tunica, quitti-

L'x his omnibus rite hactenus adductis, & ponderatis, confectum esse puto, quod antea infinuavimus, mechanismum venæ azygæ pro pleura, causam pleuritidis esse. Ut etiam, quæ prolixius disputavimus, in nervum cogantur, cuilibet apparebit, plus probabilitatis in nostra de vena azyga sententia inesse, quam veterum opinioni de pleura. Quod si videlicet, pleura membrana tantam inslammationem idiopathice non admittit, nec sputum sua natura præparare potest: Quod si, omnis inslammatio a sangvine dependere.

dependet, vena autem azygos cum ramis unicum est vas, per ambitum pectoris divaricatum, quo læso circulus læditur sangvinis: Quod si structura azygæ, tum propter proportionem circuli ad venam cavam ipsi subordinatam, tum propter fornicem orificii musculosum, ad congestiones sangvineas aptior est, pleura: Quod si, complicatio nervorum cum ramis azygæstagnationem promovere, adeoque tensione sua dolores punctorios seu pleuriticos facilius producit, quam pleura producere potest: Quod si denique præparatio sputi partim ex crasi sanguinis, partim ex nexu azygæ cum trachea expeditior est, quam ex conditione pleura, quis exinde non videt, satis præsidii nobis esse tum in structura pleuræ, tum in structura azygæ, tum in congestionibus sangvineis, tum in ortu dolorum, tum in præparatione sputi, ad defendendam sententiam veteribus adversam.

# cimins quappeople XX Edg and amin

Temini jam mirum videatur, quod nomine pleuritidis usi simus, cum pleuram membranam propemodum, quanquam non per omnia, e chini

omnia, a causa pleuritidis excludamus, quandoquidem vel tyroni in græcis ex evolutione Lexici notum esse potest, πλευρών non tantum membranam illam, quæ veteribus alias ὑπεζωnws dicitur, sed etiam costam seu latus denotare, atque sic pleuritidem nobis idem esse posse, quam morbum costalem seu lateralem, quorsum multos auctores, si opus esset, allegare possem. Neque temeritati tribuatur, quod coacti, definitionem pleuritidis vulgarem, qua differentiam specificam paulisper immutemus, (inviti alias antiquos lapides movere solemus, nec infi-cior, mihi sæpius antiquam Senis Coaci descriptionem placuisse, quam de Pleuritide ejusque disserentia a Peripnevmonia Lib. I. p. m. 15. 16. de morb. dedit, ubi inprimis lectorem curiofum venularum intercostalium crebrior commemoratio delectabit:) in genere etiam definitionis huc usque constituto nihil desideratur. Consentimus quippe, pleuritidem esse inflammationem in ambitu pectoris; in eo vero liceat pau-lisper, modeste tamen, recedere a communi sententia, quod non in pleura, sed in venæ azygæ ramis tum ex sangvine abundante in crasi lælo,

læso, tum mechanismo ipsius venæ oriatur. Consentimus quoque in divisione pleuritidis communiter recepta, quod sit vel vera exquisita sebrem acutam inslammatoriam comitem habens, vel spuria seu notha, vel occulta, vel manisesta, vel ascendens, vel descendens, vel vaga, vel periodica, vel benigna, vel maligna, vel simplex, vel composita.

#### XXII.

Ad hæc vereor prætermittere, Pleuritidem nostram pro varietate partium inslammatarum varia sortiri nomina sicut etiam libenter concedimus Stablio, quod Pleuritis prout a nobis descripta suit, paulo rarior sit morbus, ita facile sieri potest, ut vel alteruter pulmonum lobus vel uterque inslammetur, quo casu nomina in medicorum scholis recentiorum more variari solent, nam si alteruter pulmonum lobus ardeat, pleuropnevmonia dici consvevit, sinuterque peripnevmonia. Interim observandum puto, si accurate philosophari velimus, pleuropnevmonia non superficialem alterutrius pulmonum lobi inslammationem requirit, sed totalem,

· lem, atque ad interiora penetrantem, annuente Viro Cl. jam laudato. Quod si vero eveniat, ut pulmones ita superficiarie inflammentur, illud non fieri existimo, nisi per consensum venarum bronchialium, atque veram eandemque simplicem pleuritidem manere. Quapropter inique, meo quidem judicio, carpitur Laurentius a Gvelfalione, quod quatuor pleuritides statuerit, intercostalem nempe, quæ superiorum costarum existit, hypochondriacam, quæ inferiorum est & notharum, anticam, quæ sterni, tandemque thoracicam, quæ dorsalis appellatur, unde sub-dit, a quatuor venis derivari, priorem a ramo intercostali, secundam azyga, tertiam mammaria, quartam a thoracicis. Hic Vir, ut ingenue dicam, quid sentiam, hac quadruplicis pleuritidis divisione, ignorantiam Anatomices accuratioris haud levem prodit quidem, si vero ea polluisset scientia, qua recentiores nostri, plane non dubito, quin parem nobiscum foverit opinionem, parique sermone fuerit elocuturus, atque hinc potius excusandus era t Gvelfalioni, quam rigorose taxandus.

#### XXIII.

Jonnullæ antiquioribus usuales Pleuritidis differentiæ, recentiorum dogmatibus itidem accommodari possunt, nec usu in historia morborum carent. Ita pleuritis ficca, juxta Hippocrat. pulmonibus exarescentibus incon-grue adscripta, de ea erit interpretanda, quæ ægrotum citra sputi vel evacuationem, vel ejus suppressionem cum gravissima tusti jugulat, vel quæ ex mente Langii muco ita tenui & non rite viscido constat, ut fistulæ pulmonalis parietibus adhærere, adscendere, & exscreari possit, sed incrassantibus medicamentis, ut promoveatur, opus habeat. Pleuritis serosa, seu catarrhalis, a fluxionibus capitis versus pectus irruentibus, sanguineæ opponitur. Illa, uti criticas evacuationes seri, in capite suppressas atque cacochymiam respicit, sic hæc plethoram & congestiones sangvinis pro sundamento habet, & satis superque arguit, medicos parentes ea jam tum approbasse, quæ recentiores magis perspicue demonstrant.

XXIV.

#### XXIV.

Propterea haud necessarium esse arbitror, ut, tum reliquas causas remotiores, tum diagnosin prolixiorem atque prognosin, tum totam therapiam specialem, annectamus, cum omnia nostræ definitioni ex asse quadrent, nec invicem sibi contrarientur. Ex posterioris fontibus tantum chirurgicis adhuc annotantes, scarificationis in latere affecto Pleuritide, nec non usus hirudinum, in praxi moderna haud frequentem inveniri mentionem, cum jam Celsus, VVillisius, & Rulandus, præsertim ventosarum circa scapulas, nec non Joubertus & Heurnius sanguisugarum circa nates, svasores extiterunt. Lancisius cucurbitulas supra locum dolentem cute prius incisa affixas, tum in vera, tum notha Pleuritide, interdum post sectam jam venam, præstantissimam medelam attulisse expertus est, incantamenti siquidem instar, ut ait, educto sangvineo stimulo, dolores evulsos, & febrim mitigatam fuisse, modo non pulmones afficiantur aut sputum critice erumpat. Vere dignæ igitur hæ essent observationes, ut etiam apud nos, earum

earum virtus in subjectis succulentioribus, & plethoricis, comprobaretur, asserente inprimis Celso modo laudato, cucurbitulas, omissa quoque propter desectum virium Phlebotomia, secure applicari posse.

#### XXV.

Quod reliquum est, velim existimes B. L. hisce pagellis nonnulla insuper addi potuisse, cuncta vero nobis, intra limites Speciminis Inauguralis nos continentibus, ex scriptis Medicorum priscis æque ac modernis ad scopum spectantia, haud transscribenda suisse. Sin igitur palato forsan Tuo arrideant, mecum benevole consentias, sin minus, conatus haud, quæso, improbes, quin Tibi persvadeas potius, me exercitii gratia dixisse

# TANT'VM.

NOBI-

# NOBILISSIMO ATQUE CLARISSIMO CANDIDATO

S. P. D. PRAESES.

leuritidis vera, veram atque genuinam causam pariter ac sedem dum exponis, arduum satis atque difficile in Te suscipis negotium conficiendum. Hoc enim argumentum non ita pridem Summorum in Italia Medicorum exercuit ingenia, qui hactenus recepta in Scholis opinione non contenti, paulo accuratius in veritatem hujus rei inquirentes, veteribus placitis nova inventa addiderunt, morbique lateralis rationem dilucide magis & distincte ob oculos quasi posuerunt. De hac vero materia solide, erudite atque eleganter disseruisti, in prasenti abs TE elahorato Specimine Inaugurali, in quo ingenii TVI vires, eruditionemque egregiam, ejusdemque hactenus abs TEcomparatos magna cum solertia Thesauros, satis superque demonstras. Dum itaque vestigiis majorum TVORVM, & maxime Beati TVI Parentis, Viri quondam Optimi & in Arte Salutari celeberrimi insistis, ego certe hac de re vehementer laetor, TIB Ique de prasenti eruditionis TVA insignis Specimine, nec non de suscipiendo itinere erudito ad exteras nationes ex animo gratulor. Age Doctorande Clarissime, inquire porro, quemadmodum hactenus fecisti, in veritates & rationes nostra artis, remque TVAM apud exteros etiam age feliciter. Deus vero immortalis adsit sua gratia in posterum tuis conatibus, & TE Itineris labores sustinentem semper salvum atque sospitem prastet, ita ut TE eodem per divinam gratiam feliciter confecto, in Patriam dulcissimam reducem, & multis artibus auctum locupletatumque, svaviter complecti, TEque cum TVIS mihi summopere suspiciendis, bene valere pergaudere queamus. Caterum TE PATRONIS Illustrissimis ac Summis humillime commendo, atque, ut TE TVOSque conatus clementer ac gratiose ulterius velint respicere, devotissime precor.